ΜΕΡΚΟΥΡΙΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ

Αναγκαιοτατη διδασκαλια περι σφυγμων.

MERCURII MONACHI

Pernecessaria de pulsibus doctrina

Ex ms. Cod. Regiae Neapolitanae
Bibliothecae

EDIDIT, ATQUE ILLUSTRAVIT

SALVATOR CYRILLUS.





NEAPOLI MDCCCXII.
Typis Vincentii Orsini
SUPERIORUM VENIA.

PRAEFATIO.

Versanti mihi graecum codicem ms. R. Bibliothecae, in quo Dioscoridis de simplicibus medicamentis, et Abitiani de urinis tractatus continentur, fortunate se se obtulit brevissimum Mercurii cuiusdam Monachi opusculum, quod quum de pulsibus ageret, novamque quamdam doctrinam prae se ferret, pupugit illico animum meum iamdiu medicis studiis intentum, incessitque cupido obscuri opusculi e tenebris eruendi, atque in medicorum conspectum emittendi. Ostendi illud subito, uti par erat, Cl. Andresio R. Bibliothecae Praefecto, eumque consului, num operae pretium fore existimaret, si brevissimum huncce tractatulum, tribus tantum paginis contentum, medicis omnibus ignotum, atque vix in duabus, aut tribus totius Europae Bibliothecis delitescentem, vel potius sepultum, in medium tandem proferrem; novamque illam sphygmicam doctri-

nam, qualiscumque ea sit, medicorum examini, experimentisque subiicerem. Probavit ille consilium meum, atque ea benignitate, qua iuvenum omnium studia amanter fovet, quaque me praesertim, qui sub sua praefectura sum constitutus, consiliis, praeceptis, atque omni officiorum genere ad munia mea recte obeunda instituit, ad opusculum hocce in lucem proferendum vehementer excitavit. Me porro librorum ope, suaeque eruditionis subsidio adiuvit, neque unquam destitit stimulos mihi continenter iniicere, ut opus urgerem, neque a labore perficiendo desisterem. Plures insuper ex principibus Medicis eadem de caussa consului; iique omnes doctrinae novitate perculsi publici iuris faciundam censuere. Descripsi ergo subito, latineque converti hunc tractatulum, quem lectoribus sisto notis perpaucis, ubi opus esse putavi, explanatum. Atque tum ut Lectores ad ejus examen paratiores adcederent, tum quia a nemine, quod sciam, usque adhuc peracta est, brevem sphy-

sphygmicae rei historiolam contexui, illamque cum ea, quam potui, Auctoris notitia, in tantis illius aetatis tenebris comparare, praefatione exponendam putavi; quae proinde praefatio facile in majorem amplitudinem, quam opus ipsum evasit.

Ut ergo paullo altius rem repetam, notum unicuique satis est veterem illam Medicinae periodum, quae a remotioribus eiusdem primordiis ad Hippocratem usque intercedit, ἐμπειρια tantum, non quidem meditatione quaesita, industria comparata, aut ratione confirmata, sed simplici, et rudi totam fuisse contentam. Hinc vulgaris imitatio, fallax morborum similitudo, generalis quaedam, et vaga phoenomenorum inspectio per illud sane temporis erat exquisitus Medicinae apparatus, et supellex. Quare Galenus ubi ex Herodoto descripsit morem illum priscis temporibus sollemnissimum apud Aegyptios, Babilonios, et Graecos, apud quos aegri per compita exponebantur, ut si viator quis aliquo reme-

 dio

dio convaluisset, idem remedium aegrotis indicaret, subiicit illico: Αλλ' αυτη μεν αλογος η πειρα, και ουτω λογικη (a). *Sed haec quidem experientia ratione erat vacua, et minime rationalis*. Tam angustis limitibus coarctabatur ars Medica, tamque infirmis nitebatur fundamentis, quum primum ad eamdem excolendam Philosophi accessere. Tum profecto medendi scientia sapientiae pars coepta fuit haberi, et morborum curatio, quae usque ad id temporis ad deos unos fuerat relata (b), atque accuratior animalis oeconomiae inspectio, et naturae totius contemplatio arcto quodam vinculo, et cognatione intima inter se coeperunt contineri. Quare apposite admodum; ac sapienter Celsus scripsit (c). *Non post rationem Medicinam esse inventam, sed post inventam Medicinam rationem esse quaesitam*. Graeci igitur Philosophi omnium primi rationem cum experientia coniungentes rudem adhuc Medici-

nam

(a) De Medic. cap. I.

(b) Cels. praef. lib. I. & Homer. Iliad. lib. I. XVIII. & alibi.

(c) loc. cit.

nam ad quemdam perfectionis gradum evexerunt; atque ipsi profecto arteriarum pulsationes, quarum nulla antea exstabat consideratio, ad morborum diagnosim pertraxere. Quod certe mirum in modum comprobat Actuarius scribens (d). *Facultates multae ab iis, qui sapientia excelluerunt, inventae sunt tam ad praevidendum, quam ad iudicandum mutationes, quae in humanis corporibus fiunt, quarum principatum habuisse videtur de pulsibus doctrina.* Quod fortassis per ea tempora evenisse putandum erit, quum harmoniae plurimum tribuebatur, adeo ut quum musicis rithmis omnia administrari putarentur, ad rithmicas etiam arteriarum pulsationes observandas se se converterent Philosophi.

At quinam prior de pulsibus scripserit haud satis notum est. Hippocrates quidem, magnus ille rationalis Medicinae parens, is nempe primus est, cujus in operibus nonnulla appareant pulsuum doctrinae vestigia (e). Et quamquam haud

(d) De Meth. medend. lib. I cap. 9.
(e) De aliment. Praenotion. lib. IV. & alibi

haud dederit rei sphygmicae incredibilem illam operam, quam ceteris medicinae partibus navavit (*f*), non idcirco tamen putandum est eamdem omnino posthabuisse; quod ex Galeno etiam apparet, qui ait: (*g*) Πρωτος μεν ουν ἁπαντων, ὡν ισμην, ἱπποχρατης το τε ονομα του σφυγμου γραφει, και την εν αυτῳ τεχνην ουκ αγνοειν ἐοικεν. *Primus equidem omnium, quos sciam, Hippocrates σφυγμὸυ verbum usurpavit, & pulsuum artem minime ignorasse videtur.* Verum enimvero extremis hisce temporibus opinati sunt nonnulli (*h*) de principatu cum Hippocrate contendere posse Aegimium quemdam Veliensem Philosophum, quem scripsisse accepimus de pulsibus tractatum, cui titulum fecerat περι παλμων *de palpitationibus* (*i*). Atque ii nimirum in hanc sententiam discessere, quia ex allatis Galeni verbis eruere voluerint Medicos ante Hippocratem ad pulsum

(f) Galen. de puls. different. lib. I. cap. 2.
(g) Loc. cit.
(h) Cler. histoir. de la medic. Casaubon. in notis ad Athen. & Gandinius Trattato di sfigmica.
(i) Galen. loc. cit. & lib. IV. cap. II.

sum designandum usos fuisse voce παλμος, eaque postea reiecta, Hippocratem verbum σφυγμος invexisse. Vellem profecto tantam gloriam Regioni huic nostrae posse tribuere, quae clarior inde evaderet, atque illustrior. Sed lis haec, quae jam inde a Galeni aetate erat sub iudice, haud facile absolvi posse videtur. Sic enim ille: H ει πρωτος Αιγιμιος άπαντων εγραψε περι σφυγμων, η και τις αλλος προ αυτου. Dubium est: *Num omnium primus Aegimius scripserit de pulsibus, an alius ante illum* (k). Et revera Aegimium fuisse Hippocrate antiquiorem minime demonstrat vox illa παλμος, quam ipse ad pulsum denotandum usurpavit. Neque enim ex Galeni verbis colligitur usum vocis παλμος verbo σφυγμος fuisse vetustiorem, neque Hippocratem eamdem in vocem σφυγμος commutasse, sed tantum Hippocratem primum exstitisse, qui verbum σφυγμος in usum medicum traxerit, πρωτος το τε ονομα του σφυγμου γραφει (l). Quid vero

(k) Loc. cit.
(l) Gal. de plus. differ. lib. I. cap. 2.

vero quod verbum illud παλμος multo etiam post Hippocratem ad pulsum denotandum adhibitum fuisse videtur. Quod ex Galeni verbis eruimus, qui ubi disputavit, an σφυγμος unum modo pulsum significet, aut pulsus hocce tantum verbo adpelletur, concludit, Archigenem cum doctore suo censuisse πολλαχως λεγεσθαι του σφυγμου, *multis modis pulsum appellari*. Sed quocumque modo se se res habeat, Aegimius profecto inter celebriores quosque sphygmicos auctores numerandus est, tum quia παλμου vocem proprie usurpavit, ut *longe praeter morem non vulgi tantum, sed etiam medicorum motus arteriarum vocarit palpitationem* (m), tum praecipue, quia ea tempestate tractatum de pulsibus conscripsit, ut Galeni aevo primus, qui hac de re scripserit fuisse putaretur.

Sed post duos hosce sphygmicae doctrinae principes Hippocratem, atque Aegimium longo temporis intervallo neglecta fere iacuit pulsuum scientia; mul-

(m) Loc. cit.

multo enim post eosdem floruit Erasistratus, cujus innumera quidem, eaque maxima sunt merita de re medicâ universa. Sed qui praxim medicam summo ardore coluit, tantosque labores, et curas in anatomen praecipue illustrandam impendit, in sphygmica arte excolenda paullo negligentior exstitit, uti queritur Galenus (*n*). Et revera ne voce quidem σφυγμος recte utebatur; sed ea tantum ratione eamdem usurpavit, qua antea usus erat Hippocrates, qui eamdem non ad unum pulsum, sed ad vaga alia quoque designanda pertraxerat. Attamen vir ille magnus bene de pulsuum scientia meruisse dicendus est, quia eadem de re tractatum scripserit, quem Galenus ipse dignum putavit, ut commentariis suis instrueret. Liceat insuper hoc loco memorare percelebrem illam Erasistrati doctrinam de spiritu in arteriis contento, quae nempe proxime exacto saeculo basim, ac fundamenta praebuit theoriae

(n) Hippocrat. & Platon. placit. lib. VI. Cap. I.

riae vaporis expansilis animalis (o), quae immortalem clarissimo eiusdem auctori peperit gloriam, ut Rosae nomen per omnes cultioris Europae regiones illico fuerit pervulgatum.

Sed Magistri gloriam quaecumque ea fuerit, tum discipuli, tum asseclae posteriores non parum auxere. Erasistrati enim schola, quae ab ipsius excessu quam maxime floruit, impensam pulsibus operam navavit, ut quam plures viri in ea arte clarissimi indidem prodierint. Principem inter hos locum obtinuit Apollonius Stratonis filius, de quo ornatissima saepe inest mentio apud Galenum, qui auctor nobis est censuisse illum arteriarum pulsationem ex spiritu originem agnoscere (p). Quam nempe sententiam modo dictus Rosa (q) experimentis confirmasse sibi visus est; quum canalem quemcumque flexibilem, aut mortuam arteriam, in quam sanguis ex viventis animalis arteria immittatur, pulsare

(o) Rosa Letter. Fisiolog.
(p) Differ. puls. lib. IV. Cap. 17.
(q) Loc. cit.

sare conspexerit. Nec minus clara fuit fama Hicesii, quo principe celebris haec schola extincta fuit Smyrnae, ut testatur Strabo (r), aliorumque multorum qui in hac arte maxime excelluerunt, quos omnes longum sane foret hoc loco singulatim percensere.

Herophilus autem Erasistrato pene coaevus, summo ingenio, exquisitaque doctrina philosophus, veluti primus sphygmicae rei parens considerandus est; quum ipse vera iecerit scientiae huiusce fundamenta, quae non nisi sub faustissimis eiusdem auspiciis certior fieri coepit, quum antea nec principia quidem satis illi constarent. Et re vera ipse multa, quae diligentius erant cognoscenda, investigando cognovit. Hinc a definitione exorsus doctoris sui Praxagorae premens vestigia, vocem σφυγμος recta significatione usurpavit, pulsus a palpitationibus distinxit, multaque insuper ad caussas motus arteriarum pertinentia detexit: ipse prior varia pulsuum genera

(r) Lib. XII. fin.

ra observavit, peculiari autem modo *caprizantem*, cui nomen etiam imposuit (s): ad summam Herophilus primus fuit, qui non vagam quamdam sphygmicam coleret, sed qui solidiori basi eamdem imponeret, ut eo pacto certior profecto, atque utilior hujusmodi scientia evaderet. Atque hoc loco opportuna videtur Cl. Andresii observatio, qui nempe putat Herophilum idcirco scripsisse adversus M. Hippocratis praenotiones, quod Hippocrates parum diligenter mentem posuerit pulsibus, neque inter morborum signa illos adnumeraverit, ex quibus certiora quaeque in morbis indicia facile eruuntur (t).

Enimvero Galenus, qui in Herophili librum de pulsibus commentatus est, dum Empirici notam eidem inurere conatur, praeclarum, ac gloriosum sane testimonium de illo reliquit, quem historias rerum, et facta, non rerum rationem exposuisse testatur. Inde enim facile apparet solertissimum illum medicum,

(s) Differ. puls. lib. I.
(t) Origin. e progres. di ogni Letteratura.

cum, praxeos bono, magis quam subtilibus speculationibus consulentem, magnam sphygmicarum observationum copiam, eamque accuratiorem collegisse; qua in re totum, aut fere totum sphygmicae artis meritum continetur. Brevissimum quidem, at praestantissimum Herophiliae doctrinae compendium posteritati mandavit diligentissimus Plinius, ex quo colligitur certis quibusdam legibus pulsuum doctrinam comprehendisse Herophilum, qui jam tum apprime novit varios esse pulsus pro aetatum varietate, alium puerorum, alium senum, horum quidem tardum, ac lentum, illorum contra citatum, velocem, ac celerem. Qua quidem in re pertractanda tanta usus fuit subtilitate, ut Plinius putarit, id scilicet fuisse caussae, cur ejus discipuli ab ipsius doctrina excolenda tantisper amoverentur. *Arteriarum* inquit, *pulsus inden fere morborum in modulos certos, legesque metricas per aetates stabilis, aut citatus, aut tardus, descriptus ab Herophilo Medicinae vate miranda arte, nimiam ob* sub-

subtilitatem deserto (*u*). Ex Galeno insuper luculenter adparet pulsuum rithmos eumdem cognovisse, de quibus prolixius disputavit, observationem potius prodens, atque experientiam, quam rationalem docens methodum (*v*). Multa denique, eaque praestantissima supersunt Herophili doctrinae monumenta, quae silentio praetereo, ut de ejus schola nonnulla dicere possim.

Scilicet nobilissimi Philosophi, reique sphygmicae peritissimi exstiterunt Herophili discipuli, qui de ea complures libros conscripserunt. Atque inter praeclarissimos sane accensendus est Zeno, Herophiliorum nemini secundus, qui unus novit, et potuit non temere asseverare pulsum systole, ac diastole constare, qua nempe de re, nondum ante eum rata, non nisi incertae quaestiones a multis agitabantur. Adde Chrysermum, et clarissimum ejusdem discipulum Heraclidem Erythraeum, qui de Herophili schola plures libros com-

(u) Lib. XI. cap. 37.
(v) Galen. præsag. ex pulsib. lib. II. Cap. 3.

composuit : adde Aristoxenum, cujus liber de eadem secta decimus tertius a Galeno memoratur, et Demosthenem Philaletem, cujus tres libros de pulsibus multi commendabant. Heic vero non transigenda est ratio, qua in pulsibus explorandis Demosthenes utebatur; ea enim multam lucem Mercurii praxi affundit, et sphygmicum nostrum ab omni novitatis nota liberat. Nimirum Demosthenes in pulsu ictum, atque intervallum considerabat; quae praxis fere eadem est ac Mercurii, cujus opusculum illustrandum suscipimus. Bacchius item adnumerandus est, qui in difficiliores quosque M. Hippocratis locos fuit commentatus. Eum profecto plures Erasistrati asseclae accusare voluerunt, quod cor, atque arterias non simul contrahi putarit; sed Bacchii caussam honorifice peregit Galenus, asseruitque et de hoc vere iudicasse, et de aliis multis ad pulsuum doctrinam pertinentibus recte, sapienterque disputasse, et omnia de hac re Bacchii asserta experientia confirmari.

. Inclaruere praeterea quam maxime Alexander Philalethes, sub quo celebris haec schola defecit (x), atque Apollonius Mus. Doctissimus Hallerus, Galeni innixus testimonio, opinatus est viginti novem libros de pulsu Apollonium Murem scripsisse. Verum haud satis certo id colligi potest ex eo Galeni loco, quem respicit Hallerus, ubi vigesimus nonus liber Apollonii de secta Herophili eadem prorsus ratione laudatur, qua septimus Heraclidis, et decimus tertius Aristoxeni memorantur. Imo sane putarim non tantum viginti novem, ut Hallerus ait, sed plures adhuc illius libros exstitisse, non tamen de solis pulsibus eosdem tractavisse. Idque eo magis adducor, ut credam, quod Herophili discipuli non in pulsibus tantum operam consumpsere, sed in reliquas medicae artis partes, praesertimque in Anatomen sedulo incubuerunt. Quae hactenus dicta sunt aperte declarant multum in pulsibus illustrandis vetustiores illos medicos

(x) Strab. loc. cit.

dicos insudasse, summoque studio, atque ardore praestantissimam, eamque difficiliorem medicinae partem excoluisse. Nihilo minus quidquid de magnis hisce Medicis nobis servavit Galenus; qui unus fortasse est, a quo eorum notitia sit repetenda, omne, inquam, aut varias pulsuum definitiones respicit, aut aliud quid simile nimia plerumque subtilitate disputatum (x).

Atque eo sane tempore in universum videntur Medici in pulsuum scientia multam operam posuisse, tumque maxime floruisse pulsuum explorandorum usum in medica praxi; quum Celsus communem inter Medicos usum innuens scribat *Nos autem venis* (arteriis) *maxime credimus* (y); et Plinius arterias *indices fere morborum* appellet (z). Enimvero non Erasistrati tantum, aut Herophili asseclae, sed medicae omnes sectae, quae innumerae pene exstabant, ad pulsus illustrandos

 ani-

(x) Galen. differ. puls. lib. IV. passim.
(y) Lib. III. Cap. 6.
(z) Loc. cit.

animum adpulerunt. Hac vero de re tam variae fuere singulorum sententiae, tamque diversae, ut molestum sit omnes hoc loco adnumerare. Ex Empirica schola prodiit celeberrimus ille Tarentinus Heraclides, qui licet Empiricorum postremus, omnes tamen ante se longe lateque superavit, atque antecelluit; quam ad rem Caelius Aurelianus, qui plures laudat illius libros, haec scribit (a): *Empiricorum sufficit uni Heraclidi Tarentino respondere, etenim eorum posterior, atque omnium probabilior apud suos invenitur.* Ipse nimirum quam diligentissime tum aliorum, tum praecipue Herophili librum de pulsibus exacta trutina examinavit, in eoque nonnulla, quae corrigenda erant deprehendens, officiose correxit, errataqua omnia in unum exponens, librum contra Herophilum hac ipsa de caussa concinnavit.

Ex Pneumatica item celebres admodum fuere cum ejus scholae princeps Athenaeus, tum Magnus, tum Apollonius,

(a) Acut. Lib. I. Cap. 17.

nius, et supra ceteros Agathinus. Hallerus, Galenum adpellans, scripsit pulsum solis in arteriis exstare Agathinum docuisse (β). Verum praeclarus vir haud recte interpretatus esse videtur Galeni verba, ex quibus potius colligitur, Agathinum nunquam illud docuisse, quin imo contrariam in sententiam discessisse, quum Philonidi Siculo obiecerit, quod pulsum solis in arteriis fieri haud bene asseruerit. Αγαθινος μεμφομενος αυτω πρωτον μεν, ὡς μοχθηρων αποφηναμενῳ τον σφυγμον εν αρτηριαις μοναις γενεσθαι. *Agathinus ei objiciens primum, quod male asseruit pulsum solis in arteriis fieri* (γ).

Archigenes autem omnes aetatis suae Medicos fuit supergressus; ipse enim, nimia disputandi subtilitate remota, in pulsuum cognitione comparanda totum prorsus se abdidit. Et quamquam Galenus huius librum de pulsibus aliquanto acrius saepe carpere videatur, eius tamen obiurgatio non errata quidem in Archigenis opere ostendit, sed tantum

 quem-

(β) Biblioth. Anatom. Lib. I. par. 42.
(γ) Differ. puls. Lib. IV. Cap. 10.

quemdam methodi defectum in illo arguit. Etenim Galenus, qui Archigenem aliquando deridendum praebuit, quippe qui nomina aliquot minus congruentia pulsibus imponeret, eumdem tamen Virum in universa arte colenda non ignavum adpellat, et in hac maxime pulsuum scientia plurimum valuisse testatur. In uberiori vero ejusdem artis parte, eaque utiliori, quae nimirum practicam pulsuum cognitionem respicit, maxime prae ceteris versatum esse Archigenem auctor nobis est idem Galenus, scribens: *Reliquam secundam partem* (h. e. de pulsibus dignoscendis) *nec Philosophorum, nec Medicorum praeter Archigenem attigit quisquam* (δ). Quid porro quod ipse fortasse prior observavit, nomen certe primus imposuit *dicroto* pulsui (ε), ex quo extremis hisce temporibus tot, tamque utilia in morbis praesagia eruit Solanus (ζ). De pulsus vehementia peculiari modo disputa-

(δ) De dignosc. puls. Lib. I. Cap. I.
(ε) Differ. puls. Lib. I. Cap. 16.
(ζ) Lapis. Lyd. Apollin.

tavit, variaque novit pulsuum genera, inter quae magnum, parvum, vehementem, debilem, plenum, vacuum, longum, aliosque quam multos a Galeno relatos, quorum omnium catalogum longum sane foret hoc loco contexere; sed qui tamen longe illum in sphygmica arte profecisse aperte nobis ostenderet.

Mitridaticis denique temporibus alia orta fuit secta, et ipsa quidem illustris, sed aevi brevioris; ea scilicet, quae Methodica audit, et Asclepiadem praeclarum Medicum, ac peculiari ingenio praeditum, Principem agnoscit. Enimvero Asclepiades, qui veterem medicinam maximam partem immutavit (η), de pulsibus etiam tractatum scripsit, eumque, perinde ac Herophili, atque Erasistrati libros, suis commentariis instruxit Galenus. Ex Asclepiadis auditoribus fuere Thessalus, Philonides, Cassius, Themison, et Moschio, cui ob emendata pluribus in locis Doctoris opera διορθωτου *correctoris* nomen inditum fuit; ut praetermittam immensam illam turbam

(η) Cels. præf. Lib. I.

Asclepiadis sectatorum, qui in pulsuum scientia excolenda adlaborarunt, licet aliquando a doctoris Asclepiadis doctrina abhorruerint (θ).

Hi nempe, quos hactenus memoravi, Sphygmicam artem ante Galenum pertractarunt; eorumque doctrinae tam pauca supersunt monumenta, ut vix dignoscatur quousque pulsuum ars fuerit per eosdem progressa. Fortunate vero locupletissimus ille Galeni thesaurus de pulsibus ab avara temporis voracitate, atque immani barbarorum gentium feritate sospes huc usque superfuit. Revera Galenus, de medica re universa benemerentissimus, benemerentior adhuc exstitit de pulsuum scientia, utpote qui tum veterum omnium inventa, atque doctrinam, tum amplissimas suas hac in re cognitiones, novasque excogitationes in immortali suo opere collegit, illustravit, et posteritati mandavit. Nullam enim nec theoriae, nec praxeos partem admirabilis vir ille omisit, quam summa eruditione, sollertia, ac

(θ) Differ. pulf. Lib. IV; Cap. 2.

ac doctrina non tractaverit. Atque in amplissimo illo suo opere clarissima elucet pulsuum doctrina: vasta, et profunda scientiae hujusce cognitio: et plurimam inde lucem posterioris aevi Scriptores omnes hausere.

Non tamen inficior Galeni operibus pretii aliquantulum detraxisse prolixitatem quamdam sermonis, qua omnia involvit, et nonnihil obscuritatis lectoribus creat. Verum quod ad rem nostram, atque ad ejusdem doctrinam de pulsibus attinet, quantum ille in ea arte excelluit! Quot, quantaque primus omnium invenit! quantum sphygmica scientia eo magistro processit! Longum nimis esset, et supervacaneum haec omnia singulatim percensere, quum Galeni libri de pulsibus, et universa alia ejusdem opera in manibus omnium quotidie versentur. Tantum nomen, tamque praeclaram famam apud Romanos, exterosque peperit Galeno amplissima artis hujusce cognitio, ut tritum esset adagium *Apollinis oracula ex ore Galeni;* quod fortasse inde quam maxime factum est,

quod post singularem, mirabilemque Eudemi curationem Medicus quidam Philosophus admiratione perculsus, ut ait Galenus, exclamarit: Ὡς ὁ Πυθιος Απολλων δια του Γαληνου στοματος εβουληθη θεσπιζειν τοις νοσουσι *Pyth um Apollinem voluisse per os Galeni oracula agrotantibus dicere* (ι).

Galeno coaevus, Imperante scilicet Marco Antonino, floruit Marcellus Sidetes, qui, ut ait Suidas, (κ) quadraginta duos libros de Medicina composuit; atque eos quidem versibus hexametris scripsisse testatur D. Hieronymus, quum ait. *Legat qui vult Aristotelem, et Theophrastum prosa, Marcellum Sidetem, et nostrum Flavium hexametris versibus disserentes* (λ). Marcelli vero tractatus περι σφυγμων exstat adhuc manu scriptus in perantiquo codice Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, uti ex catalogo ejusdem Bibliothecae intelligitur (μ). Atque hoc loco obiter animadvertendum

(ι) De prænot. ad Posthum. Cap. 3.
(κ) Voc. Μαρκελ.
(λ) Contra Iovian. Lib. II.
(μ) Lambec. Lib. VI. p. 338.

dum nobis est mendum irrepsisse in Bibliothecam Gesnerianam Jacobi Frisii, atque in Bibliothecam Medicam Georgii Schenckii, in quibus perperam legitur Marcellum hunc floruisse sub *Marco Antonio*, quum legendum sit eumdem vixisse sub *Marco Antonino Philosopho*, uti jamdudum idem Lambecius adnotavit (v).

Verum enimvero Sphygmica Galeni opera, et amplissima illa, atque uberrima pulsuum doctrinae collectio summo Auctoris labore concinnata, supinam quamdam negligentiam in posteriores Medicos induxere, eaque scientia aliquid detrimenti inde coepit, unde maximum incrementum capere debebat. Re ipsa post Galenum defecit magna illa Scriptorum copia, qui eumdem praecesserant, nec nisi perpauci sequiori aevo inveniuntur, quos de pulsibus vel mediocriter meruisse sciamus. Omnes enim in hoc tantummodo adlaborarunt, ut prolixiores Galeni libros de pulsibus, remotis subtilitatibus, facilius intelligerent, atque ex

(v) Loc. cit.

ex illis si quid eis arrideret, in sua opera transferrent. Namque in universum asseverari potest, unam Galeni doctrinam semper viguisse, eique Medicos omnes unice adhaesisse. Extremis tantummodo hisce temporibus sphygmica ars novum quemdam modum recepisse videtur a Solano, Bordevio, aliisque pertractata.

Post Galenum igitur tam neglecta jacuit ars sphygmica, ut vix romanos inter Scriptores tertio saeculo unus occurrat Caelius Aurelianus, qui ut sit practicus diligentissimus, et praecipue morborum semioticae perscrutator, non tamen frequentem in suis libris facit de pulsibus mentionem (ξ). Apud Aetium saeculi quarti Scriptorem vix pauca de pulsibus adnotantur; solum in Tetrabibli secundi sermone primo notae aliquot ex pulsibus quam brevissime exponuntur (ο). Apud Aretaeum paullo frequentior de iisdem mentio inii-ci-

(ξ) Acut. Lib. I. Cap. 6. Lib. II. Cap. 3. Lib. III. 5. & alibi.

(ο) Cap. 27.

citur (π): uti apud Alexandrum Trallianum, qui inter diligentiores quosque Medicos diligentissimus jure existimatur. Denique paullo plura habet hac de re Paullus Aegineta, qui multis in locis aliquanto diligentius pulsus considerat; praecipue vero in libro secundo, ubi fusius de iisdem agit ex Galeno (ρ). Inter graecos pulsuum Scriptores Theophilus quidam monachus postremus fortasse numerandus est, qui octavo saeculo, aut nono dicitur floruisse. Ejus tractatus de pulsibus exstat adhuc ms. inter codices Caesareae Vindobonensis Bibliothecae, uti ex ejusdem catalogo colligitur (ς). Atque tractatum illum ex Galeni praenotionibus penitus excerpsisse Theophilum ex titulo ms. praefixo intelligitur; quod sane validius confirmat unam Galeni doctrinam semper viguisse; eoque ex fonte hortulos suos posterioris aetatis scriptores irrigasse. Illis

(π) De ſgn. acut. morbor. Lib. II. Cap. 1. 5., & 8. De cauſſ. & not. diuturn. Lib. I. Cap. 5., & alibi.

(ρ) Cap. 17.

(ς) Loc. cit. p. 276.

Illis denique temporibus defecisse dicenda est graeca Medicina, quae paullo post ad Arabes se convertit. Atque hi quidem principio ad graecorum scripta in propriam linguam traducenda studia sua adhibuerunt; et Honainus, Isakus, Hosbeistius, Abulcasen, aliique complures innumeras operum Hippocratis, et Galeni, aliorumque graecae gentis medicorum interpretationes ad popularium suorum usum tradidere. Novi quid Freindius, quid Renaudotius, quid Picquerius, aliique contra has versiones declamarunt: quid contra Pocockius, Greavius, et posterioribus hisce temporibus Casirius, et Pizzius, in Escurialensis Bibliothecae codicibus tractandis versati, pro ipsis disputarunt. Sed nobis in his non licet immorari, eaque omnia fusius, et accuratius explicata apud laudatum Andresium videri queunt. Illud certe fatendum est multum Arabes ex Graecorum lectione in medicis studiis profecisse, nonnulla item ad ejus disciplinae incrementum ab ipsis proprio marte fuisse adinven-

ta, multas apud ipsos surrexisse medicas scholas, multa instituta Collegia, pharmacopaearum usum ad populorum utilitatem ab ipsis invectum, ad summam artem salutarem impensius ab iisdem excultam.

Sed quod ad rem sphygmicam facit, existimare quis facile possit eam a Sinensibus potius, quam a Graecis Arabes exquisivisse. Cui non nota sphygmica Sinensium disciplina tantopere decantata? cui non dicta stupenda illa miracula ex pulsuum cognitione depromta? Non praesentes tantummodo morbos dignoscere, sed etiam praeteritos, et quod amplius est, etiam futuros prospicere. Quidni ergo Arabes, qui Graecorum scripta medica insatiabili cupiditate perquirebant, quique ad uberiorem doctrinam percipiendam ad Syros item, ac Persas, aliasque gentes recurrebant, quidni, inquam, Sinas consulerent in re tam gravi, quaeque ad maiorem profectum in arte ipsis carissima tantum conferebat? Praesertim quum ipsi non prorsus a Sinensibus abessent; quin imo

ma-

magnum cum ipsis commercium octavo saeculo fuerat institutum: Legationes inter Caliphum Haroun Raschid, atque Sinarum Imperatorem ultro citroque missae, et mutua inter eos rerum, morumque cognitio. Sed nescio quo pacto Arabes, qui summopere ardebant per omnes proficere, Sinarum disciplinas, a quibus magnam possent utilitatem percipere, aut ignorarunt, aut neglexerunt, aut fortasse ipsorum Sinensium invida suspicione celatas pernoscere nequiverunt. Manifesto enim patet Arabum cum Sinensibus commercium civile tantummodo, mercatorium, atque oeconomicum, nequaquam vero literarium exstitisse,

Quare nihil a praedicata illa, et decantata sphygmica Sinensium scientia Arabes profecere; sed omnis illorum doctrina a graecis scriptoribus derivavit. Enimvero sexdecim Galeni libros de pulsibus arabice convertit Hobaischus (τ): Persica lingua librum de iisdem

(τ) Casir. Biblioth. Arabico-Hisp. tom. I. p.254.

dem composuit Avicenna (υ) : Omnia Galeni opera de pulsibus in compendium redegit Razaeus (φ) : De pulsibus insuper scripsere Averroes , Abulpharagius , aliique quamplurimi , qui veterum graecorum sphygmicam in usum revocarunt , eique penitus adhaesere . Quin imo aphorismos de urinis , ac pulsibus , eosque praestantissimos edidit Maimonides natione Judaeus , quae certe natio haec studia aeque habuit cum Arabibus communia .

Tota interea Medicinae Scientia intra Arabicae dominationis fines continebatur . Extra eos vero pauci admodum numerabantur , qui hisce studiis incumberent ; neque ullus exstitit inter Latinos , aut Graecos , qui magnam sui nominis famam posteritati transmiserit. Constantinus Afer post longissimas obitas peregrinationes in Italiam advectus longe heic prae ceteris bene de medicina meruisse dicendus est , quum Arabum , et Graecorum scriniis compilatis

 com-

(υ) Casir. loc. cit. p. 270.
(φ) Cas. loc. cit. p. 262.

complures libros de medicis rebus conscripserit, qui ad nos usque pervenerunt, et multorum animos ignorantia sopitos ad ea studia excolenda excitarit. Floruit paullo post Joannes Actuarius, et ipse Arabum doctrina instructus medicos sui temporis facile antecelluit; et hujus quoque scripta aetatem tulere, et digna habita sunt, quae a nostris viris legerentur. Tum schola Salernitana hisce tantum disciplinis promovendis instituta est. Tum monasteria, quae loca ab hominibus aliquantulum in literis versatis ut plurimum occupabantur, avidius etiam quam religiosos viros decebat, ea studia exceperunt; plurimique se se Medicinae exercendae penitus dedere, et nonnulli etiam medicis libris conscribendis operam posuerunt.

In his Mercurius, cuius opusculum illustrandum aggredimur, nomen suum professus est, et Medicinae studiis haud negligenter incubuit. Imo si quid ex brevissimo hoc opusculo coniectare licet, atque ex hoc, ut ita dicam, ungue

gue Leonem metiri, penitius Mercurius, quam ceteri sui temporis medici, ad interiora artis penetravit. Nam alii satis habebant morbos, et medicam praxim crassa Minerva tractare, et Galeni, Arabumque sententiis quoquo modo adhaerere; nihil vero ipsi per se ulterius progredi audebant. At Mercurius non rudi quadam, et superficiali artis notitia contentus, penitiorem pulsuum cognitionem, rem subtiliorem, quaeque Lynceum oculum postulabat, audacter aggressus est; neque in eà Graecorum, Arabumque doctrina animum suum explevit, sed ad maiora contendens novum quid, incognitamque pene antiquis theoriam marte suo creare molitus est. Nam alii in pulsibus longitudinem, tarditatem, celeritatem, magnitudinem, aliaque id genus respiciebant; Mercurius vero ad arteriarum micationes mentem advertit, earumque numerum, pulsationum in arteria locum ac sedem, earum alternationes, ac vicissitudines, omnia ad summam notabat, et sedes inde morborum, et persaepe etiam pro-

gnostica repetebat: videturque Mercurius ad Sinensium potius, quam ad Graecorum formam sphygmicam suam composuisse. Doctrina pernecessaria ἀναγκαιοτάτη διδασκαλία in nostri codicis titulo dicitur haec Mercurii doctrina. Non ego proinde pro eius necessitate, aut utilitate, aut veritate sponsor fieri velim. Sed quid tamen vetat eamdem Medicorum examini, periculisque proponere? quid demum piaculi esse potest novam quamdam, qualiscumque ea sit, pulsuum doctrinam lectoribus inspiciendam praebere? Si experimentis subacta locum non tenet, atque a veritate aberrare cognoscitur, quid detrimenti Medicina capere potest a falsitate erroneae doctrinae detecta? Sin contra, Medicorum observationes doctrinae hactenus incognitae veritatem manifestant, quot inde evenient bona ad medicae rei profectum, ad morborum debellationem, ad humanae salutis conservationem? Quam multa graecorum opera physiognomonica, Onirocritica, et alia id genus a criticis editoribus semel iterum-

rumque in lucem prolata sunt, quae certe neque veriora, neque humano generi utiliora, quam Mercurii nostris sphygmica dici queunt; et tamen Eruditorum hominum studia, lectionem, animadversionesque meruerunt. Liceat ergo duas, tresve pagellas consumere in opusculo edendo, quod nihil certo producet mali, at emolumenti quidpiam medicae arti, et hominum vitae afferre fortasse poterit.

Illud mihi dolendnm est, non alios potuisse consulere codices, quam nostrum hunc Regiae Bibliothecae Neapolitanae. Tria enim tantum hujus opusculi exemplaria per universam Europam reperiri ad meam notitiam pervenit. Primum, quod Eruditorum cognitioni patuit, est Bavaro-Lugdunense, quod fuit olim Vossianum, cui Mercurii Monachi notitiam acceptam referunt Fabricius, et Hallerus, qui uni ex omnium Bibliographorum numero ejus nomen, opusculique titulum pronunciant. De eo in Catalogo Bibliothecae Batavo-Lugdnnensis id tantum

 di-

dicitur Μερκουριου του εν μοναχοις περι σφυγμων, opus folium unum implens (χ). Alterum est Parisiense, quod Labbeus (ψ), et Montfauconius (ω) memorant; sed ille refert ad numerum MMXVI; Montfauconius vero ad numerum MMMCLXXV; ambo autem in hoc conveniunt, quod scilicet animadvertunt, et Mercurii monachi del pulsibus, et alia variorum opuscula in eodem codice inesse. Tertium denique nostrum est, quod fuit olim Dominici Pizimentii, qui rei Medicae, et graecae linguae, ac literaturae peritus, codicis pretium aequo iure poterat aestimare.

Codicis antiquitatem non praedicabo, neque enim ultra saeculum XVI. ascendere videtur, sed a docto calligrapho scriptum ostendunt, et hoc ipsum Mercurii opusculum, et aliud Abiciani de urinis, quae quum inedita sint, parumque Bibliographis nota, reconditiorem

(χ) pag. 30. I.
(ψ) Biblioth. nova ms. pag. 301.
(ω) Biblioth. Biblioth. mss. tom. II. n. cit.

rem quamdam eruditionem in eo indicare videntur, qui eadem describenda curavit.

Sed quis demum est Medicus iste Mercurius, qui hocce nobis opusculum largitus est? Ego ut verum fatear post plures hinc inde peractas perquisitiones nihil certi, exploratique expiscari valui. Nulla de eo apud antiquos, coaevosque sive ecclesiasticos, sive prophanos scriptores memoria. Nusquam in virorum illustrium catalogis, nusquam in Scriptorum bibliothecis hujus Mercurii nomen adparet. Recentiores Fabricius (*a*) atque Hallerus (*b*) quos unos novi, qui eum nominent, vix de hoc tractatu de pulsibus, idque ex solo Vossiano codice, faciunt mentionem. Tres tantum codices, novimus uti supra dictum est, Parisiensem (*c*), Vossianum, modo Bavaro-Lugdunensem (*d*), et Neapolitanum, in quibus aliquod ejus exstet monumentum; atque hoc aliud

(a) Biblioth. Græc. Lib. VI. cap. 9.
(b) Biblioth. anatom. Lib. I. fin.
(c) Vide Montfauc. Biblioth. ms. N. cit. &
(d) Loc. cit.

non est, quam opusculum nostrum de pulsibus. In hoc vero opusculo nulla ad lectorem praefatio, exordium nullum, nihil auctor ipse de se, nullum usquam labitur verbum, quod non recte ad pulsus tendat, nullum, quod alio divertat, nobisque aliquod sive aetatis auctoris, sive patriae indicium praebeat. Ad conjecturas ergo, easque non admodum firmas, est confugiendum.

Consului codicum omnium titulos, si forte ex iisdem aliqua Auctoris notitia depromi posset; omnes eodem veniunt, ut Mercurium nostrum non antiquissimum illum Trismegistum, sed sapientissimum., disertissimumque Monachum declarent. Του λογιοτατου Μοναχου Κυρου Μερκουριου αναγκαιοτατη διδασκαλια περι σφυγμων legitur in Cod. nostro. Κυρου Μερκουριου του σοφωτατου, και λογιοτατου, εντιμιοτατου του εν μοναχοις περι σφυγμων, habet Codex Vossianus. Labbeus (e) et Montfauconius (f) tantum innuunt *Mercurii Monachi* de pulsibus.

Ne-

(e) Loc. cit.

(f) Loc. cit.

Neque nihil est, neque omnia, quod ex his titulorum verbis patescit. Habemus enim auctoris nostri monasticam professionem, eaque potest nos quodammodo manuducere ad ipsius aetatem, et patriam cognoscendam. Monachum graece scribentem facile dixeris Basilianum. Stilus operis concisus, et strictus, totusque technicus nullam fere nobis aperit rimam ad hominis aetatem detegendam: sed tamen incomtum nescio quid, et politiori graecitati extraneum sapere videtur, ut fere graecobarbaro sermone conscriptum opusculum pronunciaveris. Quare facile adducor, ut credam Mercurium hunc Medicum Monachum ad decimum, proximeve sequentia saecula, atque ad Calabrias, nostrasque has provincias pertinere.

Multa concurrunt simul, quae meam hanc opinionem probabilem reddant. Illis nempe temporibus primum Theophili, post Callixti, Meletii, complurium que monachorum scripta medica prodiore, et medicinae studium mona-

na-

nachis erat familiare, eisque ad commoda, et lucra comparanda, atque ad amplissimas dignitates consequendas viam sternebat. Tum vir sanctissimus, nobilissimis parentibus ortus, Guaimari Principis affinis, Benedictus Alphanus in Monasteriis educatus, et sacris, prophanisque literis eruditus, Medicinae studiis inclaruit, et ad Salernitanum Archiepiscopatum evectus est. Tum Constantinus Africanus, Rhegii diu commoratus, maximisque muneribus functus, monasticam demum vitam amplexatus, totum se in medicis artibus abdidit, et scriptis Arabum in graecum sermonem convertendis, aliisque proprio marte concinnandis continenter incubuit, et monachorum animos ad medicas disciplinas excolendas vehementius excitavit. Perstrepebant monasteria medicis disputationibus, atque adeo turba monachorum medicinam exercentium excrevit, ut saeculo XII. duo Concilia Rhemense, et Lateranense secundum inflictis poenis ab ea exercitatione monachos arcendos esse censuerint, quod *neglecta*

ani-

animarum cura pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum curatores se faciant corporum (g).

Quare non longe a veritate, aut veri similitudine abhorrere videbimur, si Mercurium monachum Medicinae scriptorem ad ea saecula referamus. Atque eadem haec, quae modo dicta sunt, et alia non pauca nos alliciunt, ut nobis Mercurium vindicemus, eumque fere Neapolitanae ditionis monasteriis adseramus. Quid enim honores illi medicinae tributi, quid Constantini Africani, seu Rhegini opera, ejusque medica schola, quid illa conciliorum decreta nisi italica monasteria respicere videntur? His accedit scholae Salernitanae nobilitas, quae quum tot illustrium virorum concursum ad se faceret sive medicinae addiscendae, sive morbis depellendis, sanitatique recipiendae, facile vicinorum hominum animos inflammabat ad eam disciplinam persequendam, quam tanto in pretio apud omnes haberi conspiciebant.

De-

(g) Lab. Collect. Concilior. an. 1131, & 1139.

Denique nomen ipsum Mercurii huic monacho impositum aliquali nobis indicio esse poterit, Sphygmicum nostrum ad hasce provincias pertinere. Ita enim fieri solet, ut quum virum nobis ignotum nomine haud communi appellari audimus, statim illum ad eam patriam referamus, ubi Sancti alicuius eiusdem nominis cultum in religiosa veneratione haberi novimus. Quum extra Regni nostri fines quispiam comparet Agnelli, aut Januarii nomine donatus, eum omnes absque haesitatione Neapolitanum esse arbitrantur. Petronium audimus, Bononiensem pronunciamus; Geminianum, Mutinensem. Inde ergo Mercurii Monachi, nobis aliunde prorsus ignoti, originem non iniuria repetemus, ubi S. Mercurii cultum, qui certe dici non potest multarum gentium, maiore in honore habitum noverimns.

Atqui hunc non alibi solemnius, quam in nostris provinciis eo tempore celebratum accepimus. *Consentiae*, ut ait Gabriel Barrius (*b*), *in majo-*

ri

(h) De antiquit. & sit. Calabr. Lib. II.

ri templo ad aram S. Petro, et aliis Apostolis dicatam cum S. Crucis frustis reliquiae S. Mercurii religiose servabantur. Beneventi in amplissimo templo S. Sophiae erectum fuerat Mercurii altare, magnaque in veneratione habebatur; quare eo adveniens Callixtus Papa anno 1120. illud solemni pompa summa cum populi exultatione dedicavit, eaque dedicatio annua festivitate ad XII. Cal. Septembris celebrabatur, uti Falco Beneventanus scriptum reliquit (*i*). Sed longe maiorem celebritatem comparavit in Calabriis S. Mercurio insigne Monasterium ejus nomini dicatum proxime ad Palmam Rhegium inter, et Nicoteram, egregiae sanctitatis fama celebratum. Ejus loci religionem et Marafiotus (*k*) et Barrius (*l*) aliique complures Scriptores amplissimis verbis testantur. Sed egregium prae ceteris testimonium nobis exhibet antiquissima *Vita S. Nili Roſſanenſis*, graecę a suo di-

(i) Chron. ad an. 1120.
(k) Chron. Calabr. Lib. I. cap. 35.
(l) Loc. cit. Lib. V.

discipulo S. Bartholomaeo, uti creditur, scripta, a viris clarissimis Friderico Metio, Jo: Mattheo Cariophylo, ac Cardinali Sirleto in latinum conversa (*m*). Ibi nimirum quum adventus S. Nili in illud monasterium describitur, hisce verbis enuntiatur. *Ubi pervenit ad Monasteria, quae Mercurii vocantur, et vidit caelestes illos, et admirabiles viros, magnum, inquam, Joannem, et percelebrem Phantinum, et angelica pietate Zachariam, ceterosque omnes opera, et sermone dei praestantes, aspectu eorum, humilique habitu stupefactus lacrymas affatim profudit, divinoque zelo accendebatur.*

Non est hujus loci sacri illius monasterii laudes protendere, rationesque explicare, cur non unum tantum, sed plura ibi dicantur monasteria Mercurii nomine insignita, eoque in loco congregata. Haec tantum commemorasse libuit, ut quum Monachum quemdam, de cujus genere, et patria nobis non constat, Mercurii nomine appellatum videamus, eum ad hasce regiones refera-

(m) Act. Sanct. XVI. Septembr.

ramus, in quibus tam amplis honoribus D. Mercurius afficiebatur; notamque temeritatis, et imprudentiae a nobis avocemus, si Mercurium Monachum huius opusculi auctorem nostris provinciis vindicemus.

Accedit insuper leviusculum quid, et sane nullius fere momenti, sed haud praetermittendum tamen in summa hac, qua versamur obscuritate. Codex iste modo regius, in quo rarissimum hocce Mercurii opusculum continetur, fuit olim Dominici Pizimentii eruditi medici, graece doctissimi, ad quem complures alii graeci codices modo regii pertinebant, cuiusque non pauca scripta typis mandata in medicorum manibus versantur. Pizimentius hic vero Calaber erat, Hipponii natus, et in Calabriae scholis educatus. Verteturne mihi vitio, si huncce opiner amore patriae ductum levidense hoc opusculum sibi quaesivisse, et in patria, ac literaria sua supellectile reposuisse, quia ipsi auctoris temporibus propinquiori notum fortasse

tasse esset conterraneum suum fuisse Mercurium? Sed in his non immoror, neque velim singula ad vivum, ut aiunt, resecare. Nobis abunde sit, si cuncta in unum coacta probabilem valeant Mercurii patriam exhibere. Non ergo ineptus, et temerarius auctor dicendus ero, si non quidem stricto iure contendam, sed tamen amice postulem, ut provinciis nostris Mercurius iste monachus sphygmicae artis scriptor tribuatur.

Quod si mihi detur, uti dandum esse haud injuria censeo, nova mihi aderit fidentiae ratio, ut hoc, levissimum licet, opusculum a cive nostro profectum, tot saeculis in tenebris abditum ego modo in dias auras producam. Tenuis quidem in tenui labor, et tenuis gloria: sit modo aliqua doctrinae utilitas, accedat novus Scriptor Bibliothecae Neapolitanae, veniam me ab aequo lectore meriturum sperabo.

ΤΟΥ ΛΟΓΙΟΤΑΤΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ

ΚΥΡΟΥ ΜΕΡΚΟΥΡΙΟΥ

Αναγκαιοτατη διδασκαλια περι σφυγμων.

Πιασον τον σφυγμον αμα τοις τεσσαρσι δακτυλοις, και πιεσον συμμετρως, και σφιξον· ειτα ανεσιν δος τοις δακτυλοις, και σκεπτου.

Πιασον δε μετα της δεξιας σου χειρος την δεξιαν χειρα· (a) και αρξου απο του λιχανου, και κατερχου μεχρι και του μικρου δακτυλου, και σκοπει κατα σαυτον.

Και ει μεν κρουει τον λιχανον, ειτε τον πρωτον δακτυλον, λογιζου οτι την κεφαλην πασχει.

Ει δε τον τριτον, λεγε νεφρους, και τα περιεχοντα, ηγουν εντερα, κυστιν, και τα τοιαυτα.

Ει

(a) A praxi medicis omnibus communi abhorrere videtur hoc loco Mercurius, qui dextera manu dexteram, ſiniſtra ſiniſtram aegri manum docet prehendendam. Mendum ſane putarem in græcum textum irrepsiſſe, & pro *σκαιαν*, *δεξιαν* ſcripſiſſe calligraphum. Id arguit tum communis medicorum uſus, tum vox *κατερχεσθαι* *deſcendere*, qua utitur Mercurius.

MERCURII MONACHI

DISERTISSIMI

Pernecessaria de pulsibus doctrina.

Pulsum quatuor digitis prehende, apte, et congruenter comprime, atque constringe: deinde digitos remittens observato.

Dextera manu tua dexteram aegri manum adprehende, et ab indice digito ad minimum descendens, animo considerato.

Et si quidem indicem, seu priorem digitum percutit arteria, ægrum capite laborare puta:

Si tertium digitum, renes, et quæ illos circumeunt, intestina, vesicam, et alia id genus viscera haud recte se habere pronuncia:

 Si

rius. Nam ab extremo carpo ad cubitum progressio dicitur *descendere* apud Sphygmicos Scriptores, inversa autem processio *ascendere*. Quare idem Mercurius scripsit: *απο του λιχανου κατερχου μεχρι και του μικρου δακτυλου*. Quod minime fieret dextera dexteram, aut laeva laevam prehendendo.

Ει δε του δευτερου, το στηθος, του στομαχου, και τα περιεχομενα, ηγουν σπληνα. (b)

Ει δε του τεταρτου, μηρους, ποδας, αστραγαλους. (c)

Παλιν αρχου απο του λιχανου· και ει μεν κρουει μιαν επι του λιχανου (d), πονει το ἡμισυ της κεφαλης. ει δε δυο, πονει και το οπισθεν μερος (e)· ει δε τρεις, ὁλην την κε-

(b) Trifariam Sinenſes Medici, bifariam vero D. Bordevius (cuius doctrinam neoterici plerique Sphygmici ſequuti ſunt) totum hominis corpus diſpertitum conſiderat, cujus *pars ſuperior* adpellatur, quæ ſupra diaphragma, *inferior*, quae infra illud iacet. Hinc orta eſt criticorum pulſuum diviſio in *ſuperiores*, atque *inferiores*, quorum primi organa ſupra ſeptum iacentia, alteri, quæ infra idem ſunt, morbis affecta demonſtrant. Eritne idcirco minus vera Mercurii doctrina; qui pectoris pulſum ſtomacho, & spleni perinde communem opinatur?

(c) Celeberrima ea Sinicæ pulſuum doctrinæ pars eſt, quæ laboranti unicuique organo & pulſum peculiarem, & certam in arteria ſedem aſſignat. Hinc pulſuum carpi, cubiti, iuncturaeque, ſeu *sorte* diviſio manavit. Num ergo nova huiuſmodi doctrina dicenda eſt; atque a Sinenſibus mutuata, quam fere octo abhinc ſæculis Mercurius noſter profeſſus eſt, & literis conſignavit? Haec una ineſt diverſitas Sinenſium inter, & Mercurii doctrinam, quod nulla dexteri, laevique brachii a Mercurio admittatur diviſio,

Si secundum, pectus, stomachum, et qui illi adhaeret, splenem:

Si denique quartum, femina, pedes, et talos male affectos esse certum est.

Rursus incipe ab indice digito, et si pulsationem unam sub illo absolvit arteria, media capitis pars patitur: si duo, etiam postica: si tres, totum

visio, unde diversa proficisci præsagia Sinae contendunt. Verum nec veteres sphygmicæ rei parentes, quantum ex eorum operibus adparet, nec neoterici, nec Sinae ipsi huic doctrinae semper adhærescunt, uti præter alios testatur P. du Halde Histoir. de la Chin. tom. III. Medic. p. 389.

(d) *Serinum* hunc pulsum vocavit Michael Savonarola scribens: *Serinus est, cujus percussione invenitur diversitas, ex qua quum sub uno digito invenitur percussio, in alio percipitur quies, & quum sub alio quies fuerit, in alio sentitur percussio.* De pulf. Cap. 3. Hoc ipsum diligentissimus Galenus iamdiu observavit, atque hisce verbis expressit: *Aut primus, & tertius digitus motum sentiunt, non secundus autem, & quartus: aut primus, & tertius, & quartus, at non secundus: aut primus, secundus, quartus, non tertius: tamen aut primus, & quartus, secundus, & tertius minime.* Differ. pulf. lib. I. Cap. 18. Apud alios sphygmicae rei Scriptores passim id pulsuum genus occurrit.

(e) Ms. Codex habet το οπισθεν κυρον; sed qui tendo hic

κεφαλην (f).

Ει δ' ελθοι μιαν, και παλιν τρεις, επι της κεφαλης το βαρος · ει δ' ελθοι δυο, και έν, πασχει ὁ εγκεφαλος · ει δε δις, και δις, γινεται παλμος εις την κεφαλην.

Ει δ' ελθοι δευτερον, ηγουν δυο, και δυο, ηγουν ἑξ, γινεται ηχος, και βαρος εις το ωτιον (g).

Ει δε τρεις, και παλιν α, πασχει τους μυκτηρας · ει δε μιαν, και παλιν, τους οδοντας.

Ει δε γενηται διπλους (h), επιτονος, πασχει

hic posterior? Num pars cucullarium tendinosa? Sed quid illi cum capite? Num sterno-mastoidaei, & cleido-mastoidaei extremum tendineum? Sed ad collum quidem pertinent, ad caput non item. Num magna capitis aponeurosis? Sed ad anticam, & superiorem capitis partem hæc attinet. Legerem profecto το οπισθεν μερος eadem ratione, qua scripsit Melampus Κεφαλης το οπισθεν μερος. Divin. ex palpit: Quam dicendi rationem usurpatam invenio & apud praeclarum medicum Georgium Baglivium Prax. med. lib. I. cap. 9. de capit. affect. in acut. *Si dolor capitis ante febrem invadat, atque si gravis, continua, &* posteriorem capitis regionem *occupat, periculum est, ne caput idiopatice laboret. Si vero post aliquot dies supe veniat . . . . dolor occupat partem capitis anteriorem*. Atque haec quidem lectio cum præcedentibus, atque sequentibus verbis quam maxime convenire videtur.

aegrotat caput.

Si vero semel, et rursus ter micat arteria, capitis adest gravedo: si bis, et semel, patitur cerebrum: si bis, et bis, capitis inest palpitatio.

Si pulsat iterum, seu bis, et bis, aut vero sex, sibilus est, et gravedo in aure.

Si pulsat ter, et rursum semel, nares patiuntur: si vero semel, et rursus semel, aegrotant dentes.

Si magnus sit pulsus, idemque tensus,

(f) Vix semel apud Galenum occurrit haec fere nova pulsus considerandi ratio, quam in hocce opusculo proponit Mercurius; atque inde sphygmicus noster praxim suam fortasse desumpsisse putandus est; ipsa enim Galeni verba in opusculum suum transtulit, uti infra patebit.

(g) De echo, & auris gravedine Cels. lib. IV cap. 2. §. 4. *Aliud autem malum, gravedo est. Haec nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet: sub eadem salsa saliva est, sonant aures, venae moventur in capite, turbida urina est.*

(h) Διπλους magnus est Marcello apud Dioscor. lib. II. cap. 213. Revera magnitudinem, ac tensionem gulae morbis sphygmici omnes assignarunt. Galenus De puls. ad Tyron. ait: *Angina laborantium pulsus tensionem quamdam habet.* Zechius Bononiensis De puls. *Anginae pulsus magnus est, undosus, tensionemque convulsivo similem retinens.* Cyrillus deni-

σχει του γουργορου (i).

Ει δε του δευτερου ελθοι μιαν, και δυο, πασχει το στηθος· ει δε μιαν, και τρεις, τους αρμους.

Ει δε μιαν, και αργη, και παλιν μιαν, πασχει ὁ σπλην· ει δε τρεις, και τρεις, και δυο, πασχει ἡ καρδια ὑπο ολιγωριας συχνης.

Ει δε λεπτα, συχνα, δυσπνοια, η στενωσις (k).

Ει δε μεγας, γεματος (l), βηξ· ει δε μεγας, ευκερος και εις ὁλους τους δακτυλους, ει τε εγρηγορος (m), το ἡπαρ, και χρη φλεβοτομειν (n).

Ει denique, ut de aliis taceam, scribit De puls. cap. 2. *Ubi fauces aegrotant, plerumque febris satis molesta excitatur; tum pulsus fiunt superiores, magni . . . . Pulsus gutturalis semper valde irritatus, durusque est tempore cruditatis.*

(i) Lege γουργουρον. Nicetas lib. I. *δια του γουργουρου αυτης κρωζους, και βρυγμους εποιει*. Hinc μακρογουργουρος apud Bartol. Monachum & Πετρογουργουρος apud Cantacuz. lib. 3. cap. 97. Fortasse etiam γοργορων, qua ratione Hesichius Αρδαλια τους πυθμενας των κεραμιδων, ὁυς ἐνιοι γοργορας καλουσι. Voc. Αρδάλ.

(k) Lexicis abest vox ista, quae apud unum Galenum occurrit, quod sciam: Ad Anton. Discip. stud. στενωσις γαστρος. At apud infimae graecitatis auctores pro Asthmate accipitur, uti hoc loco est accipienda.

sus, morbus extat in gutture.

Si secundum digitum semel, et bis feriat arteria, pectus morbo affectum est; si semel, et ter, articuli.

Si micat semel, et quiescit, et deinde rursus semel, splen patitur: si ter, ter rursus, et bis, cor frequenti laborat deliquio.

Si tenues, ac frequentes sint pulsus, dispnoea inest, aut asthma.

Si magni, pleni, adest tussis: Si magni, atque inanes se praebeant sub omnibus digitis, itemque veloces, hepar aegrotat, et venam secare necesse est.

Si

(l) Apud Græco-Barbaros Scriptores tantummodo legitur hoc verbum, quod *plenus* significat. Anonym. de nuptiis Thes. apud Car. du-Fresne: *Και μεν ὁ Αρης ασμαφη γιματον γαρ την πιχραν*. Ioannes Glycas de vanit vit. *Την δυσωδιαν γιματοι*. Nicetas in Murtzuphl. n. 1. *Ου γιματους, αλλα ευκερους ευρων*, unde videas etiam verbi *ευκερος* usum, & significationem.

(m) Inanitatem hancce praeter ceteros animadvertit noster Cyrillus, scribens cap. 1. *Hepatis affectiones a dexterae arteriae summa parvitate dignoscuntur*; Atque in de pulsib. organic. *In omnibus hepatis morbis pars anterior arteriae sinistrae aut omnino evanescit, aut nonnullas pulsationes profundissimas, & admodum inaequales absolvit*.

(n) In iocinoris morbis *initio sanguinem mittere*

Ει δε μιαν, και δυο, και τρεις, στομαχου οδυνη, και τα περι τους νεφρους (o), και τα τουτους περιεχοντα· ει δε τρεις, και τρεις, τους νεφρους.

Ει δε τον τριτον δακτυλον κρουει μιαν, και μιαν, πονει την ραχιν. ει δε μιαν, και τρεις, πασχει ολα τα νεφρα (p).

Ει δε δευτερον εγρηγορον (q), και αργει, μιαν, πασχει την ορχιν, η πρισμενος ενι.

Ει δε ελθοι εκ δευτερου συχνα, δυσουριαν εχει.

Ει δε δι' ολου πληττει τον δακτυλον, ενι χολικη οδυνη· ει δε αργος, αγχομενος, εισωχαδας (r).

Ει δ' ελθοι αργος, και παλιν αργος μιαν, και μιαν, πασχει τους κωκαλους (s).

Ει

optimum est apposite scribit Celsus lib.IV.cap.8. atque rei huiusce caussam aperit laudatus Cyrillus scribens *ibid. Dum hepar aegrotat, ut plurimum venae haemorrhoidales aut simpliciter turgent, aut copiosum sanguinem emittunt.* Quum ergo non emittunt, tum vena secanda. Idem iamdiu observaverat Hippocrates in proenotionibus: *Qui dolore hepatis laborant, hi sanguine per alvum egesto salvantur, non evacuato pereunt.*

(o) Cum sphygmica Sinensium doctrina aeque communis est haec, quae renibus organa assignat subiecta. Notum satis est quinque apud illos aexstimari praecipua vitae organa, unde reliqua pendent. Vide Cleyer. Du Halde, Cyrillum, Gandinium, aliosque.

(p) Νεφρα pro νεφροι vox Graeco-barbara.

Si pulsus micat semel, bis, et ter, stomachi dolor est; tum et viscerum, quae ad renes spectant, et quae eosdem circumeunt: Si vero ter, et ter, renes patiuntur.

Si tertium digitum semel, et semel percutiat arteria, male se habet spina: si semel, et ter, tota lumborum compages afficitur.

Si secundam pulsationem celerem absolvat arteria, et quiescat semel, testis aegrotat, aut tumore laborat.

Si vero iterum frequentem, adest dysuria.

Si tota arteria sub digito percipitur, colicus dolor est: si contra lentus, et suffocatus fiat pulsus, intrinsecus in ano sunt excrescentiae.

Si autem lentus sit, iterumque lentus semel, et semel, ossa morbus occupat.

suf-

(q) A purioris graecitatis lexicis abest vox haec, quae apud infimae scriptores tantummodo occurrit.

(r) Legendum ἐσοχάδας. Apud Galenum bis invenitur haec vox De parabil. medicam. lib. III. Esochem habet Petrus Castellius, & Jamesius. Diction. Qui vero Esochadas usurparit, praeter Galenum neminem novi.

(s) Κωκαλος, & κοκκαλος vox Græco-barbara

Ει δε εις τον τεταρτον δακτυλον ελθοι μιαν, και δυο, τζερμα (t) εις τους ποδας· ει δε δυο, και μιαν, πασχει τους αστραγαλους (u).

Δεον σε ανελθειν εις τον ασθενουντα, και καθιται συγμη μια· ειθ᾽ ὁυτως κρατησαι τον σφυγμον του ἀρρωστουντος ακριβως (v).

Και εαν κρουη ἑως των πεντε, η ἑως των εννεα, και παλιν ὑφοστρεφει εις τας δυο, η εις τας τρεις, και εις τας πεντε, αποθνησκει· ει δε διαβη ταυτα, ὑγιαωει.

Κρα-

Anonym. de nuptiis Thes. Να μετρησης. Απανωσολον το κορμιν τα κοκαλα τα ὁλα In Aesopi fabulis Graecobarbaris legitur: Λικου επεσεν εις τον λαιμον κοκαλον, ubi graecus codex habet λυκου λαιμῳ ὀστεον επεπηγη. Agapius in Geoponic. cap. 131. ῥιπτουσι τα κοκαλα.

(t) Τζερμα & Zerna impetigo ulcerata, seu lepra. Macer lib. 2. cap. 7. *Zernas, & lepras cura compescis eadem*. Et tzernas quidem Macri impetigines esse contendunt Cornarius, & Atrocianus. Fracastorus vult impetiginem eamden esse cum lepra. Fernelius non nisi leprae speciem impetiginem putat. Qua de re convenit etiam Avicenna scribens Fen. 4. Tractat. 3. cap. 4. *Aut parum interesse inter unum, & alium morbum, aut potius ipsam Lepram nigram esse impetiginis speciem*. Id ipsum scripsit & Celsus, qui quatuor ait esse impetiginis species,

qua-

Si quartum digitum semel, et bis feriat arteria, ulcerata impetigo pedes infestat: si bis, et semel, patiuntur tali.

Opus est te adire aegrum, et sedere paullisper: deinde animo accurate teneas pulsum, eumque perfecte callere satagas.

Tum si ad quinque, aut novem usque micationes pulset arteria, deinde revertatur ad duo, aut tres, et quinque, aeger brevi morietur: Si hunc pulsationum numerum supergrediatur, convalescet.

aegri

quarum ultima, lepra. Lib. V. Cap. 28. par. 16.

(u) Hunc locum referens Cangius Abiciano tribuit; sed male quidem; alius enim Abiciani, alius Mercurii fuit tractatus de pulsibus. Abiciani de pulsibus tractatus exstat adhuc manuscriptus in Bibliotheca Batavo-Lugdunensi, uti in eiusdem catalogo legitur; ubi est etiam tractatus Mercurii, qui ab eodem toto distat caelo.

(v) Apposite Celsus: *Periti medici est non protinus, ut venit, apprehendere manu brachium, sed primum residere hilari vultu, percunctarique quemadmodum se habeat . . . . Quas venas conspectus medici movet, quam facile mille res turbant.* lib. 3. cap. 6. Idcirco Fouquetus, aliique sphygmici praecipiunt, ut pulsum identidem medicus adprehendat, ut eius rationem hoc pacto explorando, facilius posthac, quidquid necesse est, possit dignoscere.

Κρατηστου του σφυγμου του αρρωστου, και ει μεν ριπτει εξω πυκνα, και πολλα, ηγουν οψε αποθνησκει.

Ει δε ριπτει εξω δυο, και μιαν εσω, αχρι δυο ημερων τελευτα.

Ει δε ριπτει μιαν εξω, και δυο εσω, αδυναμιαν μεν εχει, υγιαινει δε.

Ει δε εστι γαληνος, ποθεν μη ριπτων, εις τας πυλας του θανατου εστιν (x).

(x) Mercurius locum hunc ex Galeno prorſus excerpsit, cujus haec ſunt verba. Κρατηστον του σφυγμον, και ει μεν ριπτει δυο εξω, και μιαν εσω, ἑως ἡμερας δυο εστιν ἡ ζωη αυτου ει δε ριπτει μιαν εξω, και δυω εσω, αδυναμιαν εχει το σωμα, και ὑγιαινει. ει δε γαληνον εστι το συνολον, εις τας πυλας του θα-

νατο

Aegri pulsum animo complectere, et si quidem extrinsecus frequenter, et plurimum feratur, ad vesperam morietur aegrotus.

Si bis quidem extra feratur, semel autem intrinsecus, ad duos dies vita producetur:

Si semel extra, bis vero intro feratur arteria, debilis est aeger, et imbecillus, ceterum valet.

Sin contra tranquillus erit pulsus, alioquin non pulsans, mortis fores pulsat.

κατου εστι. *Pulsum animo complectere. Et si bis quidem extra, semel vero intro feratur, ad duos dies vita p oducetur. Si vero semel extra, & bis intro feratur, imbecillum est corpus, at sanum. Sin autem totum fuerit tranquillum, ad mortis fores assistit.* Ad Anton. discip. stud. ac philosoph.

